

vilegium de possessione bonorum immobilium. Breve datum fuit ad duodennium.⁵⁷

Etsi nunc superiorum regularium potestas parochias conferendi reducta fuerit ad solum jus praesentandi, nihilominus ipsi suis subditis continuarunt invigilare ac transgressores non solum in materia disciplinae regularis sed etiam exercitii curae pastoralis poena plecti. Quod episcopi bosnensis et makarskensis ut usurpationem suae jurisdictionis considerantes, denuo recursum ad S. Congregationem de Propaganda fide fecerunt quaerendo nempe exclusive pro seipsis potestatem parochos delinquentes puniendi.⁵⁸ Responsum Congregationis adhuc nos latet, sed ex sequentibus colligi potest nullum vel negativum fuisse.

Re enim vera, quo ulterius perquirendo progreditur, quaestio eo magis implicata reperitur, idque ob diversas rationes, uti videtur. Imprimis ipsa dominatio othomana nullatenus inclinata erat pro hujusmodi conflictibus sustinendis; deinde ex utraque parte (episcoporum scilicet et superiorum regularium) abusus vel potius contortae explanationes decretorum Concilii Tridentini existebant. Praeterea nulla potestas civilis adjuvare poterat observantiam decisionum in diversis occasionibus latarum. Ideo crebri recursus et lamentationes ex utraque parte ad S. Congregationem fiunt. S. Congregatio de Propaganda fide ex parte sua firmam esse voluit regularem exemptionem, ex altera vero parte integram conservare nititur et episcopalem jurisdictionem secundum decreta Tridentini et posteriores Constitutiones Apostolicas. Inter haec duo autem secundum diversitatem circumstantiarum largitur aliquas speciales facultates, favores vel privilegia alterutri parti. Haec non obscure ex sequentibus casibus apparent.

Jam memoravimus breve Urbani VIII. Post ipsum S. Congregatio saepius Franciscanis diversas indulgen-

⁵⁷ Occhievia P., *Epitome vetustatum bosnensis provinciae*, Anconae² 1776, 36—37 affert integrum textum hujus Brevis.

⁵⁸ »...dum parochi in parochia delinquant, et postea in monasteria se transferunt, dictorum fratrum superiores... dictos parochos de erroribus in parochiis commissos puniuntur. Quod cum fiat in contemptum jurisdictionis episcoporum...« Fermentžin, *Acta Bosnae*, 377 n. 1255.